ſi quidem matre ſuperſtite, tertiam quidem partem bonorum ejus matrem habere, duas vero alias partes curiam, cui a patre datus eſt. Sin autem matre quidem defuncti non ſupereſt, alii vero cognati ex materna linea deſcendentes, vel ex latere venientes ad ejus vocentur ſucceſſionem: tunc ea quidem, quæ a patre naturali ad eum pervenerunt, [eidem] curiæ competere. Si quid vero filio poſtea legitimo ſucceſſori effecto, vel a matre ſua, vel aliunde quocunque legitimo modo acquiſitum ſit, hoc ad proximos maternos ejus cognatos pervenire. Illo videlicet obſervando, ut ſive matre ejus ſuperſtite, ſive ea ante filium mortua, aliquis ex ejus genere ejusdem curiæ fortunam ſubire paratus ſit: licet [ei] offerenti ſe eidem curiæ, bona mortui, quæ de ſubſtantia patris ad eum pervenerunt, capere, muniaque peragere curialia: quo accidente, mater defuncti (ſi adhuc ſuperſit) non ſolum tertiam partem eorum, quæ extra paternam ſubſtantiam filius ejus aliunde acquiſiverit, ſed etiam omnia ea, vel ipſa ſola, vel cum coheredibus ſuis capiet. §. 2. Ea vero, quæ de ſucceſſione naturalis filii poſt curialem conditionem morientis conſtituimus, non tantum in his locum habere debent, qui poſtea a patre ſuo naturali curiæ dati fuerint: ſed etiam in illis, qui jam dati ſunt, ſi tamen adhuc ſuperſunt. Quod ſi ante præſentem ſanctionem mortui [1] ſunt, minime ad eorum ſucceſſionem eandem noſtram ſanctionem extendimus. §. 3. Et quoniam omnimodo favendum eſt curiis civitatum: illud etiam in hanc partem addendum eſſe cenſemus, ut liceat [2] patribus naturales filios curiæ [3] patriæ ſuæ tradere, non [4] ſolum nulla [5] eis legitima ſobole exiſtente, ſed etiam ſi filios, vel alios liberos ex legitimis matrimoniis procreatos habeant, & eo modo naturales quoque filios ſibi legitimos ſucceſſores efficere: ita tamen, ut [6] minime eisdem patribus liceat per donationem, vel ultimam voluntatem amplius [eidem] filio naturali dare, vel relinquere, quam [7] uni filio ex legitimo matrimonio procreato dederit, vel reliquerit, cui minima portio data, vel relicta ſit. Dat. Kal. Jun. DN. JUSTINIANO A. II. CONSS. 528.

*De legitimatione per ſubſequens matrimonium.*

10. Idem A. Demoſthenii P. P.

CUm quis a muliere libera, & cujus matrimonium non eſt legibus interdictum, cujusque conſuetudine gaudebat, aliquos liberos habuerit, minime dotalibus inſtrumentis compoſitis, poſtea autem ex eadem adfectione [8], etiam ad nuptialia pervenerit inſtrumenta, & alios iterum ex eodem matrimonio liberos procreaverit: ne poſteriores liberi, qui poſt dotem editi ſunt, ſibi omne paternum patrimonium vindicare audeant, quaſi juſti & in poteſtate effecti fratres ſuos, qui ante dotem fuerant nati, ab hereditate paterna repellentes: hujusmodi iniquitatem amputandam cenſemus. Cum enim adfectio prioris ſobolis, & dotalia inſtrumenta efficienda, & ad poſteriorem filiorum edendam progeniem præſtiterit occaſionem, quomodo non eſt iniquiſſimum, ipſam ſtirpem ſecundæ poſteritatis [priorem] quaſi injuſtam excludere: cum [9] gratias [10] agere fratribus ſuis poſteriores debeant, quorum beneficio ipſi ſunt juſti filii, & nomen & ordinem conſecuti? Neque enim veriſimile eſt, eum, qui poſtea vel donationem, vel dotem conſcripſerit, ab initio talem adfectionem circa mulierem non habuiſſe, quæ eam dignam eſſe uxoris nomine faceret. Quapropter ſancimus in hujusmodi caſibus omnes [11] liberos, ſive ante dotalia inſtrumenta editi ſint, ſive poſtea, una [12] eademque lance trutinari, & omnes [filios] ſuos in poteſtate ſuis exiſtere genitoribus, ut nec prior, nec junior ullo habeatur diſcrimine: ſed qui ex iisdem matrimoniis procreati fuerint, ſimili perfruantur fortuna. Dat. 15. Kal. Octob. *Chalced.* DECIO V. C. CONS. 529.

*Per ſequens matrimonium filii nati ex concubina legitimantur, etiamſi ex eo matrimonio nullus poſtea naſcatur: vel natus vivens non reperiatur tempore mortis patris.* Salic.

11. Idem A. Juliano P. P.

NUper legem conſcripſimus, qua juſſimus, ſi [13] quis mulierem in ſuo contubernio collocaverit, non ab initio adfectione [14] maritali (eam tamen, cum qua poterat habere connubium) & ex ea liberos ſuſtulerit, poſtea vero adfectione procedente, etiam nuptialia inſtrumenta cum ea fecerit, filiosque vel filias habuerit: non ſolum ſecundos liberos, qui poſt dotem editi ſunt, juſtos, & in poteſtate eſſe patribus, ſed etiam anteriores, qui & his qui poſtea nati ſunt, occaſionem legitimi nominis præſtiterunt. Quam legem quidam putaverunt ſic interpretari, ut ſive non [15] progeniti fuerint poſt dotem conſcriptam liberi, ſive jam ab hac luce ſubtracti: non anteriores filios juſtos haberi, niſi utroque tempore viventes, & ſuperſtites liberi inveniantur: quorum ſupervacuam ſubtilitatem penitus inhibendam cenſemus. Sufficiat etenim talem adfectionem habuiſſe, ut poſt liberorum editionem & dotalia efficiant inſtrumenta, & ſpem [16] tollendæ ſobolis habeant: licet enim hoc, quod ſperatum eſt, ad effectum non pervenerit, nihil anterioribus liberis fortuitus [17] caſus derogare concedatur: & multo magis ſi quis mulierem, quam in contubernio ſuo habuerat, prægnantem [18] fecerit, poſtea autem adhuc gravida muliere conſtituta, dotalia fecerit inſtrumenta, & puer vel puella editus vel edita ſit, juſta patri ſoboles naſcatur, & in poteſtate efficiatur, & heres exiſtat morienti ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento. Satis enim abſurdum eſt, ſi filii poſt dotem progeniti anterioribus liberis adjutorium adferant, ipſum puerum, vel puellam ſibi opitulari non poſſe. Et generaliter definimus, & quod ſuper hujusmodi caſibus variabatur, definitione certa concludimus: ut ſemper in hujusmodi quæſtionibus, in quibus de ſtatu liberorum eſt dubitatio, non [19] conceptionis, ſed partus tempus inſpiciatur: & hoc favore facimus liberorum, ut editionis tempus ſtatuamus eſſe inſpiciendum: exceptis his tantummodo caſibus, in quibus conceptionem [20] magis approbari, infantium conditionis utilitas expoſtulat. Dat. 15. Kal. April. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

In AUTHENT. de inceſt. nupt. §. Dubitatum. col. 2. tit. 7. al. Novell. 12. cap. 4.

QUod jus locum habet, & ſi ante hoc conſortium, legitimorum pater ſit ex alia conjuge, & qua ſeparatus ſit legitime, vel ea mortua.

In AUTHENT. de trient. & ſemiſſ. §. penult. col. 3. tit. 5. Novell. 18. cap. ult.

SEd nova conſtitutio non permittit hoc in ancilla, niſi ei, qui ſine legitimis aliis reperitur.

In AUTHENT. ut lib. dec. §. ſi quis autem. col. 6. tit. 7. al. 6. Novell. 78. cap. 3.

NOva alia conſtitutio hoc generaliter inducere videtur & in his, qui ex ancilla ſunt, ut ex ipſa dotis inſcriptione ſimul, & libertas tribuatur, & jus ſuorum.

*De legitimatione per Principem.*

In AUTHENT. quib. mod. nat. effic. legit. §. 1. verſ. Si vero ſolummodo & §. ſed & aliud. col. 6. tit. 3. al. 1. Novell. 74.

PRæterea qui legitimam non habet prolem, ſed ex hujusmodi conſuetudine dumtaxat naturalem: poteſt ab eo precibus [21] Principi datis legitimos ſibi conſtituere, & ſine [22] matrimonio, ſi mulier jam defuncta ſit, vel deliquerit, vel occultetur, vel alias ventre prohibeatur, vel quoquo modo matrimonium impediatur, vel ſacerdotio.

*De legitimatione ex teſtamento.*

In AUTHENT. quib. mod. nat. effic. legit. §. illud autem. col. 6. tit. 3. al. 1. Novell. 74. cap. 2.

ITem ſine legitimis decedens, in teſtamento [23] ſcribens velle ſe naturales filios fore legitimos ſucceſſores, licentiam habeat, ut poſt mortem ejus filii Principi ſupplicent, teſtamentum oſtendentes, & Principis, & legis dono fiant heredes: ſi tamen filii voluntatem patris amplectantur. Quod generaliter obſervatur: Sed ſi alii quidem volunt legitimi fieri, alii non: volentes fiant, cæteri in jure naturali remaneant.

*De eo, qui in aliquo inſtrumento nominatus eſt filius.*

In AUTHENT. ut liceat matri & aviæ. §. Ad hoc autem. col. 8. tit. 18. al. 13. Novell. 117. cap. 2.

SI quis liberos habens naturales ex muliere libera, quæ uxor ei poterat [24] eſſe, dicat [25] in inſtrumento ſive publico, ſive propria manu conſcripto habente ſubſcriptionem trium teſtium fide dignorum, hunc filium, ſive in geſtis monumentorum, hos ſuos eſſe, nec adjecerit naturales, hujusmodi filii ſunt legitimi & ſucceſſores erunt. † Et ſi uni ex multis filiis teſtimonium quodlibet ex prædictis modis præbuerit, cæteris ex eadem muliere natis ad legitima jura ſufficiet.

*De nepote naturali.*

12. Idem A. Joanni P. P.

CUidam, qui juſtum filium habebat [26], nepos acceſſit naturalis. Si nepotis [27] nomen hujusmodi ſoboli legibus accommodandum eſſet, quærebatur. Volebat enim tali [28] naturali nepoti ex ſuo legitimo filio jam defuncto progenito totam [ſuam] ſubſtantiam relinquere, quaſi ſacris conſtitutionibus tantummodo in filiis naturalibus prohibentibus totum patrimonium, ſive quantam partem voluerit, eis relinquere, & certo fine partes eorum concludentibus? Hujusmodi autem dubitatio, & in alia [dubitationis] ſpecie ventilata eſt. Quid enim, ſi ex naturali filio nepotem habeat avus legitimum patri ſuo, vel naturalem? In omnibus itaque talibus dubitationibus, cum nulla legitima conſequentia in hujusmodi perſonis cuſtoditur, ſed interventu ſobolis naturalis nullum [29] jus legitimum ſubeſſe poteſt, ut neceſſitas relinquendi aliquid eis ex legibus immineat: liceat eis, quantum voluerint ſuæ ſubſtantiæ in eos conferre; ſcilicet nulla legitima ſobole ſubſiſtente. Filiis enim naturalibus relinqui conſtitutiones, quantum voluerint, ideo prohibuerunt, quia [30] vitium paternum refrenandum eſſe exiſtimaverunt. In nepotibus autem non eadem obſervatio in præfatis ſpeciebus cuſtodienda eſt, ubi legitima ſoboles minime facit impedimentum. Ea enim ſubſiſtente: veterum conſtitutionum tenorem in naturalibus filiis ſtatutum, & in nepotes extendimus. Sed hoc in his tantummodo ſancimus, in quibus voluntate aliquid conſecuti ſunt. Jura etenim ab inteſtato [31] in avi ſucceſſionem nemini eorum penitus aperimus. Et hæc non ſolum eis accedere cen-

1 Hæc conſtitutio locum non habet in jam mortuis, ſed morituris. 2 l. 3. J. h. t. 3 Legitimos habens liberos poteſt filios ſuos naturales, ſi quos habet, curiæ offerre: ſed & eis relinquere & donare, non plus tamen quam uni liberorum cui minus dederit. 4 Legitimare per oblationem curiæ filios naturales pater poteſt, licet alios legitimos jam habeat. 5 *Nov.* 89. *c.* 2. §. 1. 6 Legitimato filio pater plus relinquere non poteſt, quam legitimis & legitime natis. 7 *Nov.* 74. & ita derogatur *Novell. Th. de bon. decur.* 8 *l.* 11. J. *h. t. l.* 20. *verſ. ſancimus. ſupr. de don. ante nupt. Inſt. de nuptiis. in fin. Novell.* 89. *c.* 8. J. Legitimatio per matrimonium, tabulas & ſcripturam requirit jure civili, *ut hic: & Inſtit. de nupt. in fin.* non tamen jure Canonico. *c. tanta.* 6. *extr. qui filii ſint legitimi.* 9 Autor beneficii alteri conferendi ipſo beneficio non eſt arcendus, ſed adjuvandus potius; adde *l. amiciſſimos.* 36. §. *Lucius.* 1. *ff. de excuſ. tut.* 10 Hinc videtur defendi poſſe communis illa opinio, Legitimatum per nuptias non tantum legitimum fieri, ſed jus primogenituræ etiam conſequi adverſus fratres juſtis poſtea nuptiis ſuſceptos. dixi ad *Novell.* 89. *c. ult.* 11 *d.* §. *ult. Inſt. de nupt. in fin. Novell.* 19. 12 Legitimati per matrimonium æquali jure cenſentur, & ſuccedunt patri una cum aliis ante & poſt matrimonium legitime ſuſceptis. 13 Legitimatur filius naturalis per ſubſequens matrimonium, *ut hic.* Cujus regulæ extenſiones viginti, exceptiones quatuordecim, vide apud Duenazium *reg.* 350. 14 Affectio maritalis nuptias facit, *ut hic. l.* 10. J. *h. t.* 15 Dixi ad *Novell.* 74. *in pr. & Novell.* 89. *c.* 8. 16 Si ita eſt, qui mortis periculo inſtante, concubinam *uxorem* vocat, liberos ex ea ſuſceptos non legitimabit: ut velle videtur Baldus *in hac lege.* 17 Anterioribus liberis fortuitus poſteriorum caſus nihil derogat: & ita per matrimonium legitimantur liberi, etiamſi poſt alii non naſcantur, vel naſcantur, & moriantur. 18 Ut ſciri poſſit quis legitime natus ſit, non inſpicitur tempus conceptionis, ſed partus. 19 Verbum *procreati* non modo locum habet in natis, ſed etiam in conceptis, & adhuc in utero exiſtentibus, ut concepti & nondum nati poſſint per reſcriptum legitimari, vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 51. *num.* 37. 20 Adde *l.* 7. *l.* 26. *ff. de ſtat. homin.* 21 De legitimatis per reſcriptum. 22 Legitimati ſtatuto, vel a Comite (quem Palatinum Comitem interpretes noſtri appellant) liberi naturales ſuccedere parentibus ſuis non poſſunt, exiſtentibus legitimis, *ut hic:* niſi forte ipſi legitimi conſentiant legitimationi, ne alioquin ipſis legitimis in jure ſucceſſionis fiat præjudicium. 23 De legitimatis per teſtamentum. 24 Verbum *poterat* habet quatuor ſignificationes. vid. Roder. Suarez. *de matrim. n.* 33. Anſ. 25 Legitimari a patre videtur filius naturalis, ſi inſtrumento publico, vel ſcriptura manu propria perſcripta & ſubſcriptionem trium teſtium fide dignorum habente *filius* nominatur ſeu appellatur, *ut hic.* quam ſententiam quatuor exceptionibus propoſitis coërcet & reſtringit Duenazius *reg.* 348. de trium teſtium ſubſcriptione, ejusque vi & effectu, vide *l. ſcripturas.* 11. J. *qui potiores.* 26 Utrum nepos naturalis avo ſuccedat. 27 Filii appellatione in odioſis nepos non continetur: ſi ratio odii quæ erat in filio, ceſſat in nepote: ut filii certæ qualitatis mentione facta nepos alterius qualitatis non continetur. 28 Legitimo nepoti ex filio naturali: vel naturali ex legitimo: vel, naturali ex naturali, legitimis non exiſtentibus, poteſt avus univerſa bona relinquere, licet eorum parenti non poſſet niſi ſemiſſem relinquere. *l. humanitatis.* 8. *ſupr. h. t.* forte quod nepos cenſetur jure extranei, vel pro extraneo habeatur: ut quod extraneo, & eidem teſtator poſſit relinquere. 29 Legitima nulla debetur liberis naturalibus: Naturales tantum liberi non agunt de inofficioſo. adde *l.* 1. §. 1. *ff. de bon. poſſeſſ. contra tabul.* 30 *Sub.* incontinentiæ, 31 Nepos cæterique liberi naturales avo vel proavo nullo modo ſuccedunt.





ſemus a ſubſtantia avi paterni naturalis, ſed etiam proavi, vel ejus cognationis: ſi quis ſaltem hujusmodi vocabulum in tam degeneres [1] homines extendere maluerit. Dat. Kal. Novembr. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

## TIT. XXVIII.
## DE TESTAMENTARIA [2] TUTELA.

*De teſtamento patronæ.*

1. Impp. SEVER. & ANTON. A. Speratæ.

QUem dicis tibi tutorem in teſtamento patronæ [3] datum, ſi adminiſtrationi ſe non [4] immiſcuit, nulla actione tibi tenetur: neque enim jure [5] datus tutor fuit. Quod ſi adminiſtraverit [6] ſponte res tuas, experiri adverſus eum actione negotiorum geſtorum potes. PP. Kal. Auguſt. APRO & MAXIMO CONSS. 208.

*De teſtamento & codicillis.*

2. Imp. ANTON. A. Sabiniano.

ETſi a patre tuo teſtamento jure tibi tutor datus, eo [7] tempore, quo heres extitiſti, in rebus humanis fuit: tamen codicillis alius tutor recte datus eſt, & uterque [8] propter voluntatem teſtatoris tutor erit: niſi teſtamento datum pater alium codicillis dando reprobaverit, tunc enim poſterior ſolus tutor erit. Dat. Id. April. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

*Si ex pupillis unus in ſuam tutelam venerit.*

3. Imp. ALEXANDER A. Gordio & aliis.

SI tutores teſtamento [9] vobis dati ſunt, quanquam unus veſtrum ſuæ [10] ætatis factus ſit, id eſt pupillarem ætatem exceſſerit, tutela tamen veſtra ad eum non pertinet. Dat. 5. Kal. Jan. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

*De teſtamento matris.*

4. Idem A. Felicianæ.

MAter [11] teſtamento filiis tutores dare non poteſt, niſi eos heredes inſtituerit. † Quando autem eos heredes [non [12]] inſtituerit, ſolet ex voluntate defunctæ datus tutor a Præſidibus confirmari.

† Nullo vero ex his interveniente, ſi res pupillares, qui dati ſunt, adminiſtraverint [13]: pro tutelæ actione tenentur. PP. 7. Kal. Jun. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

*De ſervo alieno.*

5. Impp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Daphnæ.

SI pupillorum pater alienum [14] ſervum de quo poſtulas, & tutorem eſſe voluerit, & liberum, manente tamen alio tutore pupillis [ante] dato: & redimi, & manumitti hunc apud præſidem provinciæ, & curatorem adjungi oportet. PP. 3. Kal. Mart. SECULARI & DONATO CONSS. 261.

*De adminiſtratis & neglectis.*

6. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Donnæ.

SI tibi pater avunculum teſtamento recte tutorem dedit, nec is excuſatus eſt: eum tutelæ judicio, tam de adminiſtratis, quam de neglectis [15] (cum adminiſtrari deberent) apud competentem judicem conveni, ſecundum bonam fidem tibi ſatisfacere juſſurum. Subſcripta Non. April. *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

*De differentia tutoris & curatoris.*

7. Iidem AA. & CC. Triphenæ.

TUtelæ [actione] contra tutorem mota, quem [in] teſtamento patris, in cujus fuiſti poteſtate, datum proponis: reddi tibi, ſi quid debetur, competens Judex aditus jubebit. Curatorem [16] enim inutiliter [in] teſtamento dari non ambigitur. Dat. 17. Kal. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

*De verbis Græcis.*

8. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Florentio P. P.

TUtores [17] etiam Græcis [18] verbis licet in teſtamentis relinquere: ut ita tutores dati videantur, ac ſi legitimis verbis eos teſtator dediſſet. Dat. Prid. Id. Sept. THEODOSIO A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

## TIT. XXIX.
## DE CONFIRMANDO [19] TUTORE.

*De teſtamento matris.*

1. Imp. ALEXANDER A Priſco.

TEſtamento matris [20] tutores dati, excuſare [ſe] neceſſe [21] non habent, niſi decreto ſecundum voluntatem defunctæ, & quidem inquiſitione [22] habita dati fuerint. PP. 3. Non. Mart. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

*De epiſtola & imperfecto teſtamento.*

2. Idem A. Valerio.

NEque per epiſtolam [23], neque ex imperfecto [24] teſtamento tutorem recte dari indubitati juris eſt. Sed voluntas patris in conſtituendis tutoribus, vel curatoribus in hujusmodi caſibus a Judice, ad cujus officium hæc res pertinet, ſervari ſolet. Secundum quæ vereri non debes, ne tempus antequam [25] confirmareris, tibi ceſſerit. PP. 7. Id. Auguſt. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO CONSS. 227.

*Si ante confirmationem alius tutor datus fuerit.*

3. Idem A. Soſſiano P. P.

SI (ut proponis) pupillo cujus meminiſti, pater inutiliter teſtamento tutores dedit; & priusquam [26] hi confirmarentur, alii ab eo cujus intereſt, dati [27] ſunt, id quidem quod [28] jure geſtum eſt [29], revocari non poteſt. † An autem qui judicium patris habent, curatores eidem pupillo conſtitui [30] debeant, aditus competens Judex perſpectis [31] utilitatibus ejus æſtimabit. PP. 3. Idib. April. MODESTO & PROBO CONSS. 229.

*De parentibus naturalibus.*

4. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

NAturalibus [32] liberis providentes, damus licentiam patribus eorum in his rebus quas quocunque modo eis dederint, vel reliquerint, ([ſcilicet] intra præfinitum noſtris legibus modum) & tutorem eis relinquere: qui debet apud competentem Judicem confirmari, & ita res gerere pupillares. Dat. 15. Kal. April. *Conſtantinop.* LAMPADIO & ORESTE CONSS. 530.

## TIT. XXX.
## DE LEGITIMA [33] TUTELA.

*De avunculis & patruis.*

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Firminæ.

AD avunculos [34] nec maſculorum tutelæ ex lege duodecim tabularum deferuntur: cum ſolummodo patruis ſi non ſe excuſaverint, id jus tributum ſit. PP. 8. Kal. Jun. ipſis AA. IV. & III. CONSS. 290.

*De agnatorum & cognatorum differentia ſublata, de ſexu, ætate & gradu.*

In AUTHENT. de hered. ab inteſt. §. ex his. col. 9. tit. 1. Novell. 118. cap. 5.

*SIcut hereditas agnatione non inſpecta proximis defertur: ſic & tutelæ onus comitatur emolumentum, ſi maſculi & perfectæ ſint ætatis, & nulla lege prohibeantur ſuſcipere. Quod ſi plures ſint ejusdem gradus, & ad tutelam vocantur: jubemus communiter apud judicem convenientibus unum, vel plures eligi, & eum vel eos adminiſtrare: ut magis idoneo, vel idoneis committatur tutela, periculo tutelæ omnibus imminente, qui ad tutelam vocantur: & ſubſtantiis eorum minoribus tacite ſubjacentibus pro hujusmodi gubernatione.*

*De capitis deminutione.*

2. Iidem AA. & CC. Aſclepiodoto.

AD agnatos pupilli jure [35] legitimo ſollicitudinem tutelæ pertinere, niſi capitis [36] deminutionem ſuſtinuerint, manifeſtiſſimum eſt. S. 3. Non. April. AA. CONSS. 290.

*De fœminis impuberibus.*

3. Imp. LEO A. Erythrio P. P.

COnſtitutione divæ memoriæ Conſtantini, [37] lege Claudia [38] ſublata, pro antiqui [39] juris auctoritate, ſalvo [40] manente agnationis

1 Eſt hoc natis ex concubinatu vitium, ut degeneres ſint, nothi & obliqui. Lucanus, Obliquo maculat qui ſanguine regnum. & Baſtardi vulgo a Germanico *Bös art*, id eſt, degeneris ingenii. vide Cujac. ad *Novell.* 118.

2 Dixi ad *L.* 26. *D.* 2. Tutela alia legitima, alia dativa, alia teſtamentaria, *ut hic:* alia Atiliana, utut ſit, tutor dari teſtamento poteſt. An & curator? non datur. *l.* 7. J. *h. t. l.* 1. *in fin. ff. de confirmando tutor.* quia lex 12. tabularum de tutela loquitur, non de curatore, datus tamen confirmatur a prætore. *d. l.* 1. adde Cujac. 7. *obſerv.* 6. An & adoptio? ſic videtur. Velleius Paterculus 2. Eutrop. 7. Sueton. *in Tiber.* Cic. *in Bruto,* Nepos *in Attico.* Imo non recte, propter ſuperioris legis 12. tab. rationem: ſed tamen confirmatur. dixi ad *l.* 63. §. 10. *ff. ad SC. Treb.* An & contractus, dixi ad *l.* 21. *ff. qui teſt.* Hoc interim notandum eſt, in Gallia neque lege, neque teſtamento tutores, ſed tantum ex inquiſitione dari. vide Lucium 8. *Placit.* 3. *num.* 1. 3 Idem in patrono. *l.* 28. *in fin. ff. h. t.* 4 *l.* 1. *in fin. ff. de eo qui pro tutor.* 5 Ceſſatio injuncti perperam officii neminem obligat. *l.* 5. J. *qui dare tut.* 6 Tutor jure non datus ſi ſe tutelæ miſcuerit, actione geſtorum negotiorum tenetur. 7 Eodem tempore, quo confirmantur, ſimul fieri videntur. *Bald.* nihil prius aut poſterius æſtimatur in his, quæ fiunt eodem tempore. 8 Et ita pater dando poſteriorem tutorem non intelligitur priorem removiſſe. *Bald.* vel ſic, tutor teſtamentarius non excluditur per codicillarem, ſed ambo ſimul tutores ſunt. *Salic.* adde *l. ultim. in fin. ff. h. t.* 9 *Tutor* teſtamento datus legitimum excludit. legitima tutela teſtamentariæ cedit. *l.* 9. §. 1. *in fin. ff. de tut. & rationib.* 10 Suæ ætatis fieri, eſt puberem fieri. Dion. 53. τῆς ἐν τῇ ἡλικίᾳ. Puberes vocantur, qui nondum pervenerunt ad annum vigeſimumquintum ætatis. vide Cujac. 6. *obſ.* 3. ubi varias ætatis ſignificationes explicat. 11 Mater non dat tutorem filio, niſi eum heredem inſtituat: datum tamen judex cum inquiſitione confirmat. Non confirmatus tenetur pro tutelæ, ſi geſſerit. *l.* 4. *ff. h. t.* 12 Cujacius ad *tit. Inſtit. de tutelis.* hanc negationem expungendam monet: Nunquam enim tutor datus a matre, niſi inſtituto. *d. l.* 4. *l.* 69. §. 2. *ff. de leg.* 2. Goth. Male: vide Gloſſam & *l.* 28. §. 2. *ff. h. t.* &c. *l.* 4. *ff. de confirm. tutor.* J. G. 13 *l.* 39. §. 9. *ff. de adminiſt. & peric. tutor.* 14 Si ſervus alienus cum libertate tutor datur, ſervus redimendus eſt, & ut curator vel tutor alteri adjungitur. *Salic.* 15 Tutor negligentiam præſtat, & de negligentia tenetur. *l.* 2. J. *ſi tutor non geſſer. l.* 60. §. 3. *ff. de ritu nupt. l.* 1. §. 1. *ff. de admin. & peric.* 16 Curator teſtamento inutiliter datur, licet confirmetur. *l.* 1. *in fin. ff. de confirmando tutor. l.* 5. *ſupr. de negot. geſt.* vid. Cujac. 7. *obſerv.* 6. 17 Novella Theodoſii de teſtamentis. 18 Tutor Græcis verbis dari poteſt, *ut hic.* Quinam actus Græcis verbis fieri poſſint, dixi ad *l.* 11. *ff. de leg.* 3.

19 *L.* 26. *D.* 3. 20 Et ita inutiliter. *l.* 2. *ff. h. t.* 21 Tutor inutiliter datus, niſi a die confirmationis ſuæ excuſatione non indiget. 22 Cur magis inquiritur tutor a matre datus, quam a patre? matris, ut & omnium mulierum conſilium fragile eſt. *l.* 4. *ff. de teſtam. tut.* 23 Per epiſtolam dari tutor non poteſt, *ut hic,* ut nec hereditas (nam epiſtola ne vim quidem codicillorum habet. *l.* 17. *ff. de jur. codicill.*) ſic epiſtola qua quis ſibi coheredem cavit, petitionem non habet. *l.* 52. *ff. de pact.* fidejuſſor tamen epiſtola dari poteſt. *l.* 22. J. *de fidejuſſ.* Quin epiſtolæ nonnunquam vicem inſtrumenti obtinent. *l.* 29. *ff. de probat.* 24 Ratio dubitandi hæc eſſe potuit, quod imperfectum patris teſtamentum inter liberos valeat. *l.* 21. §. 1. J. *de teſtam.* Goth. Vid. *l.* 3. *ff. h. t.* Sichard. ad *l. hac conſultiſſima.* §. *ex imperfecto. Cod. de Teſtam. num.* 5. 6. 7. Anſ. 25 Excuſationis tempus non cedit tutori inutiliter dato, antequam confirmetur. *l.* 1. *l.* 3. *ff. h. t. l.* 58. §. 2. *ff. de admin. & peric. tut.* 26 Antequam tutor inutiliter a patre datus confirmetur, poteſt per judicem alius dari: interim dum tutor confirmetur, poteſt per judicem alius dari, tutor confirmandus non impedit quia alius poſſit dari. 27 A judice. 28 Legitime facta non revocantur. adde *c.* 73. *de reg. in* 6. *l.* 85. §. 1. *ff. de reg. jur.* 29 A judice. 30 Tutor confirmandus dato a judicibus tutori, ut curator adjungi poteſt. 31 Confirmatio tutoris in judicis deliberatione conſiſtit. 32 Pater naturalibus liberis tutorem dare poteſt, confirmandum tamen a judice. *l.* 3. J. *quando mul. tut. Nov.* 89. *c.* 14.

33 Dixi ad *L.* 26. *D.* 4. & 1. *Inſt.* 15. & 11. Ulp. 2. 3. *& ſeq.* 34 Legitimæ tutelæ deferuntur ad agnatos, & ita ad patruos, non ad avunculos. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 1. *l.* 6. *ff. h. t.* Hodie cognati, ſi modo proximiores ſint, tutelam obtinent. *Auth. prox.* J. *Novell.* 118. *c.* 5. 35 i. e. Lege 12. tab. Nam hic quibus teſtamento tutor datus non extat ex lege 12. tab. agnati erant tutores: eaque tutela ideo legitima dicebatur. *Inſtit. h. t. l.* 1. *l.* 5. *ff. de legitim. tut.* Ulp. 11. §. 3. 36 Minima capitis deminutio agnatum excludit a tutela. *l.* 5. *in fin. ff. eod.* §. *ult. Inſtit. h. t.* 37 *L.* 2. *C. Theod. de tutor. & curator. creand.* 38 De qua vide Ulp. 11. §. 8. *in fin.* 39 Vid. Ulp. *d. loco.* 40 Id eſt, tantiſper dum manet jus cognationis. *l.* 2. *ſupr. h. t.*

jure, tam conſanguineus, id eſt, frater, quam patruus [1], cæterique legitimi ad pupillarum fœminarum tutelam vocantur. Dat. Kalend. Jul. MARTIANO & ZENONE CONSS. 469.

*De fratre emancipato.*

4. Imp. ANASTASIUS A. Polycarpo P. P.

FRater emancipatus [2], qui in germani ſui vel ſororis ſucceſſione omnes inferiores ſeu prolixiores gradus, non tantum cognatorum [3], ſed etiam agnatorum antecedere a nobis pro noſtra diſpoſitione juſſus eſt, etiam ad legitimam fratrum & ſororum tutelam, necnon liberorum fratrum tutelam, quaſi minime patris poteſtate per jus emancipationis relaxatus, ſi non alia juri cognita excuſatione munitus ſit, vocari: nec ſub prætextu capitis deminutionis alienum ab hujuſmodi onere ſemetipſum eſſe contendere ſancimus. Dat. Kalend. April. JOANNE & PAULINO CONSS. 498.

*De minore vigintiquinque annis.*

5. Imp. JUSTIN. A. Demoſtheni P. P.

NEmo neque frater, neque alius legitimus in tutelam ſive ingenui, ſive liberti vocetur, antequam [4] quintum & viceſimum ſuæ ætatis annum impleat. Immineat enim cuique pro [5] ſua tantummodo adminiſtratione periculum [6], ne alieno onere alius prægravetur. Sic etenim & pupillis & adultis competens gubernatio inducetur, & naturalis [7] ordo per omnia conſervabitur. Cui enim ferendum eſt eundem [8] eſſe tutorem, & ſub tutela conſtitui, & iterum eundem eſſe curatorem, & ſub cura agere? Hæc certe & nominum & rerum fœda confuſio [9] eſt. Diſcreti itaque omnibus, vel dativi, vel legitimi fiant tutores vel curatores hi, qui talis ætatis ſunt, cui ſuarum rerum adminiſtratio committitur, quorumque res poſſunt [10] pleniſſimo jure hypothecarum [11] teneri. Omnibus [12] quæ de ſucceſſionibus tam ingenuorum, quam libertorum prioribus legibus diſpoſita ſunt, in ſuo robore duraturis, nec aliquam imminutionem ex præſentis legis ſanctione accepturis: maxime in libertorum [13] ſucceſſionibus: ne videantur ex eo, quod ad [14] tutelæ gravamen non veniunt, ſucceſſionis emolumentum amittere. Recitata ſepties [15] in novo conſiſtorio Palatii Juſtiniani. Dat. 3. Kalend. Novembr. DECIO V. C. CONS. 529.

## TIT. XXXI.
## QUI PETANT [16] TUTORES VEL CURATORES.

*De litigaturo cum minore.*

1. Imp. ANTONINUS A. Chryſanthæ.

ADmone [17] adoleſcentem adverſus quem conſiſtere vis, ut [18] curatores ſibi dari poſtulet, cum quibus ſecundum juris formam conſiſtas: qui ſi in petendis his ceſſabit, potes tu competentem judicem adire, ut in [19] dandis curatoribus officio ſuo fungatur [20]. PP. 3. Non. Februar. MESSALA & SABINO CONSS. 215.

*De liberto.*

2. Idem A. Epaphrodito.

PAtroni [21] tui filii ſi ejus ætatis ſunt, ut res eorum per tutores adminiſtrari debeant: cura adire Prætorem, & nomina edere, ex quibus tutores conſtituantur, ne ſi ceſſaveris, obſequii deſerti periculum ſubeas. PP. 3. Non. Jul. MESSALA & SABINO CONSS. 215.

*De matre.*

3. Idem A. Atalantæ.

IN locum tutoris defuncti [22], vel in perpetuum relegati, alium dari tutorem [23] filiis tuis idoneum ex eadem [24] provincia a judice competente poſtula: qui ſecundum officium ſuum utilitatibus eorum providebit. PP. 4. Idib. Jul. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

*De creditore.*

4. Idem A. Domnino.

SI filiis debitoris [25] tui non ſunt neceſſarii, qui tutores petant, potes & ipſe curare, ut accipiant, per quos legitime defendantur. PP. 3. Id. Jul. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

*De amita.*

5. Imp. ALEXANDER A. Fuſcianæ.

AMita [26] tutores petere filiis fratris ſui non prohibetur. PP. 5. Kal. Jul. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

*De matre.*

6. Idem A. Otaciliæ.

MAtris [27] pietas inſtruere te poteſt, quos tutores filio tuo petere debes. Sed & obſervare [28], ne quid ſecus quam oportet, in re [filii] tui pupilli agatur. † Petendi autem filiis curatores [29] neceſſitas matribus impoſita non eſt, cum puberes minores annis vigintiquinque ipſi ſibi curatores, ſi res eorum exigit, petere debeant. PP. 10. Kal. Octobr. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

*De tutore.*

7. Imp. GORDIANUS A. Dionyſio.

ADmone [30] eam, quæ quondam pupilla tua fuit, cum eam non tantum viripotentem eſſe, ſed etiam nupſiſſe proponas, ut ſibi petat curatorem. Quod ſi ea petere neglexerit: quo maturius poſſis [31] rationem reddere adminiſtrationis adito eo, cujus ſuper ea [re] notio eſt, petere curatorem non vetaberis. PP. 6. Id. Jan. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

*De matre.*

8. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. Muſico.

CUm a matribus [32] ſedulum petendi tutoris officium exigatur, nec fortuiti [33] caſus impedimentis [34] adſcribantur; proponaſque procuratorem [35] qui ad petendum pupillo tutorem a matre fuerat conſtitutus a latronibus interfectum [36], petitionem ex neceſſitate demoratum eſſe: ab hereditatis ſucceſſione matrem repelli, cujus [37] nullum vitium interceſſiſſe aſſeris, perquam durum eſt. PP. 5. Id. Mart. TIBERIANO & DIONE CONSS. 291.

*De habente tutorem.*

9. Iidem AA. Aſclepiodoto.

CUm jure habenti [38] tutorem tutor [39] dari non poſſit: intelligis [40] matrem [41] non officium pietatis in petendo tutore deſeruiſſe, ſed jure munitam merito filio ſuo tutorem non poſtulare. S. 3. Non. April. *Byzantii*, AA. CONSS. 290.

*De patruo magno.*

10. Iidem AA. & CC. Priſco.

NEpotibus fratris tui [42], ſi eorum mater in petendis tutoribus debito non fungatur officio, petere tutores ſolenniter potes. S. prid. Kalend. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

*De matre.*

11. Imp. ZENO A. Dioſcoro P. P.

MAtres naturalibus [43] [etiam] filiis ad ſimilitudinem eorum, qui ex juſtis ac legitimis nuptiis ſunt procreati, petendorum tutorum neceſſitati ſubjaceant: nulla [44] eis ignorantia juris ad evitanda legibus, vel ſacris conſtitutionibus definita, ſi petitionem tutorum minus curaverint, profutura. Dat. Kalend. Sept. *Conſtantinop.* ZENONE A. II. CONS. 479.

## TIT. XXXII.
## UBI [45] PETANTUR TUTORES, VEL CURATORES.

1. Imp. ANTONINUS A. Ariſtobulæ.

MAgiſtratus ejus civitatis [46], unde filii tui originem per conditionem patris ducunt, vel ubi [47] eorum ſunt facultates, tutores vel curatores his quam primum ſecundum formam perpetuam dare curabunt. Quod ſi filii tui neque poſſident quicquam in provincia ubi morantur, neque inde originem ducunt, reſtituti [48] apud patriam ſuam, & ubi patrimonium habent, morabuntur, & ibi defenſores legitimos ſortientur. PP. Kalend. Octobr. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

1 *l.* 2. *C. Theod. de tut.* ita habet, *in fœminis tutelam legitimam conſanguineus patruus non recuſet.* 2 Frater emancipatus vocatur ad curam & tutelam fratris, *ut hic*, & *l.* 5. J. *de curatore furioſi.* quemadmodum & ad legitimam ejus hereditatem ex conſtitutione Anaſtaſii, §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. cognator.* §. *ult. in fin. Inſtit. de ſervili cognat. l. ult.* J. *de legitim. hered.* 3 Quo vocabulo proprie intelliguntur fratres ſororesque ex eodem patre prognati, prognatæve. vid. Cujac. 11. *obſ.* 26. 4 Tutoris aut curatoris munere minor vigintiquinque annis fungi non poteſt. §. 13. *Inſtit. de excuſ. tut.* 5. Harmenop. 11. §. 37. §. *ult. Inſt. de fiduciaria tut.* 5 Quiſque ſuæ adminiſtrationis cauſa obligatur. 6 Onere alieno nemo gravatur. 7 Naturalis ordo conſervandus. 8 Incivile eſt eundem eſſe tutorem & in alterius tutela conſtitui. *d.* §. 13. 9 Nominum & rerum fœda eſt confuſio: verbi gratia, eundem tutorem vel curatorem eſſe, & ſub tutela vel cura conſtitui. 10 Hinc colligunt, Bona minoris vigintiquinque annis non obligari, ſi forte tutelam alterius geſſerit. Alii ſi decreto judicis ceſſerit, obligari putant: alii eo tantum caſu, quo tutelæ geſtionem ſacramento interpoſito ſuſceperit. 11 Bona tutoris pupillo tacite obligata. *l.* 20. J. *de adminiſtr. tut.* 12 Tutores majores omnino vigintiquinque annis eſſe debent, ut etiam res ipſorum obligatæ ſint nullo hinc præjudicio ſucceſſionibus Patronorum aut cognatorum generando. *Synopſ. Baſil.* 37. *tit.* 4. *cap.* 2. 13 *pr. Inſt. de legitima patron. tut.* 14 Ubi onus tutelæ, ibi ſucceſſionis emolumentum. v. *l.* 73. *ff. de reg. jur.* 15 Septimo, dixi ad *l.* 30. *ſupr. de jure dot.*

16 *L.* 26. *D.* 6. & 3. *C. Theod.* 18. 17 *Sub.* tu creditor pariter, ut *l.* 4. J. *h. t.* & contra minorem monere debet, uti curatorem ad lites poſtulet, qui ſi monitus non petierit, etiam abſenti eidem & invito dabitur. *Baldus.* 18 *l.* 2. §. 4. *ff. h. t.* 19 Curatores ad litem minores licet inviti accipiunt, *ut hic*, ſervato tamen hujus legis ordine. 20 Id eſt, ut etiam invito curator detur. 21 Libertus omittens petere tutores filiis patroni, periculo deſerti obſequii ſubjacet. Salic. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t. l.* 19. *ff. de jure patron.* 22 *l.* 7. §. *pen.* J. *de curator. furioſi.* 23 De matre vide quoque *l.* 6. 8. 9. & *ult.* J. *h. t.* 24 *l.* 5. J. *qui dare tutor. l.* 3. *ff. de tut. & cur. datis ab his. l.* 1. *in fin. l.* 13. *in fin. ff. de excuſ. tut.* 25 Creditor in ſubſidium petit, tutorem pupillo debitoris ſui dari. *l.* 2. §. 3. *ff. h. t. l. ult.* §. 2. J. *de adminiſtr. tut.* 26 *l.* 10. J. *de legitim. hered.* 27 *l.* 3. *ſupr. l.* 8. J. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t. l. ult.* §. 2. J. *de adminiſtr. tut. l.* 2. §. 23. *ff. ad SC. Tert.* 28 Mater tutores a ſe petitos filio obſervare cogitur, at non legitimos aut teſtamentarios, ut notatur *in l. matres.* 3. J. *ad SC. Tertyll.* Cynus *in l. ult.* §. *perſonis.* 2. J. *de adminiſtr. tut.* 29 Mater punitur, ſi tutorem impuberi non petit, non ſi curatorem puberi non petiit. *l.* 2. §. 29. *ff. ad SC. Tertyll.* & in eo magnum diſcrimen eſt tutoris & curatoris. De reliquis differentiis, vid. Cujac. 17. *obſerv.* 7. 30 *Subaudi*, tu debitor (nam mox ſequitur, quo maturius poſſis rationem reddere) ut *in l.* 1. & 4. *ſupr. h. t. creditor.* 31 Tutor vel debitor volens reddere rationem adminiſtrationis, poteſt petere adulto curatorem dari cui reddatur ratio. facit *l.* 7. §. 2. *verſ. permittitur etiam. ff. de minorib.* 25. *ann.* adde *l.* 2. §. 3. *ff. qui pet. tutor.* 32 *l.* 6. J. *h. t.* 33 Fortuiti caſus impedimentis non adſcribuntur: ut caſus fortuitus ei non obſit, qui quantam potuit diligentiam negotio adhibuit, ut *l.* 2. §. 1. & *ſeq. ff. ſi quis cautionibus.* 34 Id eſt, fortuiti caſus inter impedimenta voluntaria non cenſentur: alias fortuiti caſus impedimentum præſtant, & quidem excuſatione dignum, ut hic caſus fortuitus ſuperveniens procuratori excuſet dominum a contumacia. 35 Tutor peti poteſt per procuratorem. adde *l.* 2. *in fin. ff. h. t. l. mutus.* 43. §. *is, qui.* 3. *ff. de procur.* 36 Impedimentum ſuperveniens, procuratori ad tutorem petendum miſſo, matrem excuſat. *Salic.* Diligentiam adhibenti quam adhibere debuit, caſus fortuitus non debet obeſſe. Bald. *l.* 2. §. 43. *ff. ad SC. Tertyll.* 37 Puniri non debet, qui nullo vitio laborat. *l.* 22. J. *de pœn.* 38 *l.* 1. *verſ. quod tamen.* J. *de tut. vel curat. illuſtr. l.* 9. J. *qui dare tut. l.* 4. J. *in quib. cauſ. tutor. habenti. l.* 27. *ff. de teſtam. tut. l.* 13. §. 5. *ff. de excuſ. tut.* §. 5. *Inſtit. de curat.* 39 Curator tamen dari poteſt. *l.* 20. *in fin. ff. de tut. & curat. dat.* 40 Quia petitio adverſus juris conſtitutionem fuiſſet. 41 Imputari matri non debet, ſi tutorem filio tutorem jam habenti non petiit. 42 Negligente matre patruus magnus, poteſt petere tutorem dari. facit *l.* 2. *ff. h. t.* mora priorum & proximorum in petendo tutore proximo adgnato vel cognato primis & proximis non nocet. *Goth.* Vid. *l.* 10. J. *de legitim. hered. l.* 2. §. *fin. ff. ad SC. Tertyll.* Anſ. 43 Mater naturalibus liberis ſicuti & legitimis tutorem petere debet, alias eis non ſuccedit. 44 Error juris matrem non excuſat, juris ſcilicet naturalis. *l.* 2. *ſupr. de in jus vocando.*

45 *L.* 26. *D.* 6. 46 De pupillo, qui originem paternam habet in una civitate, in alia domicilium, in alia patrimonium: Si quæras quis judex ſit competens in dando ei tutore vel curatore: Sic ſentio. Originis & domicilii ſimul judicem competentem eſſe, & originis ita hic vocabulum accipio, ut in *l.* 17. §. 4. *ff. ad municip.* domicilii vero a patre ultro electi non fortuito delati judicem præferri judici originis: multo magis patrimonii judici: ut ejus adminiſtratio ad omnia bona extendatur, & tamen a rerum pupillarium judicibus curatores bonis dari, ut quot judices rerum pupillarium fuerint, totidem curatores poſſint conſtitui. ut *l.* 27. *ff. de tutor. & curatorib. dat. l.* 21. §. 2. *ff. de excuſ. tut.* ad curatores referas. Quid ſi datus tutor in loco domicilii, puta Romæ: idem alibi, puta in provincia bonis pupillaribus curator datus fuerit eoque præſente provincialium bonorum alienatio Romæ facta ſit? judicium valet. *l.* 5. §. 12. *ff. de rebus eorum, qui ſub tut.* ut hinc etiam colligas præſentiam & interventum curatoris bonorum provincialium requiri, quoties de bonorum provincialium alienatione domicilii in loco agetur. Solent autem in ea re judices urbani literis uti requiſitoriis, de quibus dixi ad *l.* 4. *divo.* 15. §. 1. *ff. de re judicata.* Cæterum ut decretum de bonis provincialibus diſtrahendis Romæ fieri poſſit, haſtæ tamen ſolennitatem apud rerum provincialium judicem celebrari oportebit. 47 Domicilium etiam patrimonii ratione pupillus habet. 48 Nota de reſtituendis patriæ, atque origini defunctorum liberis.





## TIT. XXXIII.
## DE TUTORIBUS VEL CURATORIBUS ILLUSTRIUM [1], VEL CLARISSIMARUM [2] PERSONARUM.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Proculo Præfecto urbi.

ILluſtribus [3] Præfectus urbi [4] adhibitis decem [5] viris e numero Senatus ampliſſimi, & Prætore [6] clariſſimo viro qui tutelaribus cognitionibus præſidet, tutores [curatoresve] ex quolibet ordine idoneos faciat retentari, & ſane id libero [7] judicio, expertesque damni conſtituent judicantes. Et [8] ſi in regendis pupillaribus ſubſtantiis ſinguli creandorum pares eſſe non poſſunt, plures [9] ad hoc [ſecundum veteres leges] conveniet advocari: ut [10] quem cœtus ille adminiſtrandis negotiis pupillorum digniſſimum judicabit, ſola ſententia obtineat Præfecturæ, [ſuper cujus nomine, ſolemnitate ſervata, poſtea [11] per Prætorem interponatur decretum:] Itaque hoc modo remoti a metu, qui conſilio affuerint, permanebunt: & parvulis adultiſque Clariſſimis [12] juſta defenſio ſub hac prudentium deliberatione perveniet. † Quod [13] tantum circa ſuperiores perſonas cenſuiſſe nos palam eſt, quibus [14] neque teſtamentarii defenſores, neque legitimi, vita, ætate, facultatibus ſuppetunt: Nam ubi forte hujuſmodi homines offerentur, ſi nihil ad defenſionem ſuis privilegiis comparabunt, ut teſtamentarii jure præſcribimus. † Cæterum alia quæ in cauſis minorum antiquis legibus cauta ſunt, manere intemerata decernimus. † In provinciis [15] autem Curiales in nominandis tutoribus & curatoribus clariſſimarum perſonarum exhibeant debitam cautionem, & diſcriminis ſui memores cognoſcant, indemnitati minorum obnoxias ſuas ſponte eſſe facultates. Dat. 3. Kal. Januar. *Mediolani*, TIMASIO & PROMOTO CONSS. 389.

*Occupati circa majora non vocantur ad minora.* Bald.

2. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Aureliano Præfecto urbi.

GEnerali lege proſpectum eſt, ne [16] qui ad illuſtrium [17] Senatorum tutelam curialibus occupati neceſſitatibus vocentur. Dat. 8. Kal. Auguſt. THEODOSIO A. III. & ABUNDANTIO CONSS. 393.

## TIT. XXXIV.
## QUI [18] DARE [19] TUTORES VEL CURATORES POSSUNT, ET QUI DARI [20] NON POSSUNT [21].

*Status controverſiam paſſo dari curator poteſt.*

1. Imp. ALEXANDER A. Amphibulo.

CUm tibi in ea ætate conſtituto, ut ſi de ſtatu [22] [tuo] conſtaret, tutores ſive curatores negotia tua adminiſtrari deberent, libertatis controverſiam fieri alleges: non [ideo] oportuit impediri, quo magis [23] liberali cauſa ordinata, quia interim pro libero habebaris, curator tibi daretur, per quem defendi cauſa poteſt. PP. Kalend. Novemb. ALEXANDRO A. CONS. 223.

*Maritus uxori curator non datur.*

2. Idem A. Artemiſiæ.

MAritus [24], etſi rebus uxoris ſuæ debet affectionem, tamen curator ei [25] creari non poteſt [26]. PP. Kal. Jul. FUSCO II. & DEXTRO CONSS. 226.

*Cæco curator non datur.*

3. Imp. PHILIPPUS A. Dolenti.

LUminibus [27] captum curatorem haberi [28] debere falſo tibi perſuaſum eſt. PP. 13. Kal. Auguſt. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

*Miles tutor vel curator non datur.*

4. Idem A. Emerito.

MIlitiæ [29] armatæ muneribus occupatus, neque ſi legitimus ſit, neque ſi ex teſtamento datus fuerit, nec alio modo etſi voluerit, tutor vel curator fieri poteſt: ſed ſi errore ductus res adminiſtraverit: negotiorum [30] geſtorum actione convenitur. PP. 10. Kal. Auguſt. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

*Dantis juriſdictioni non ſubjectus non recte datur.*

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Æmilianæ.

NEque a præſide alterius [31] provinciæ, neque [a] magiſtratibus municipalibus tutorem ortum ex alia civitate, nec domicilium, ubi nominatur, habentem, jure dari poſſe ab eo, cujus juriſdictioni ſubjectus non eſt, certiſſimi juris eſt. Neque ceſſatio injuncti perperam [32] officii ad periculum ejus pertinet. S. 12. Kal. Maji, AA. CONSS. 290.

*Negligente etiam matre petere tutorem Præſes dare debet.*

6. Iidem AA. & CC. Leontio.

QUod dicis, matrem [33] filiis tutores nolle petere, ſuper hac re adi præſidem provinciæ: qui ſi eam neglexiſſe perſpexerit, etiam ipſe magiſtratus dare tutores, vel nomina [34] mittere, ut ab ipſo decreto tribui poſſint, jubere non prohibetur. PP. 2. Kal. Maji, AA. CONSS. 290.

*Servus tutor vel curator non datur.*

7. Iidem AA. & CC. Rufo.

IN ſervili [35] conditione conſtitutum tutorem, [vel curatorem] a præſide [36] dari non poſſe, nullam habet juris dubitationem. S. 2. Non. Jul. *Philippopoli*, AA. CONSS. 290.

*De* creditore *pupilli.*

8. Iidem AA. & CC. Euelpiſto.

CReditorem [37] debitoribus [38] tutorem datum, non tantum petitionem non amittere, ſed etiam ipſum ſibi poſſe ſolvere [39], non ambigitur. PP. 5. Non. Jul. CC. CONSS. 293.

*De creditore vel debitore ejus qui in curatione eſt.*

In AUTHENT. ut hi qui ob. ſe ha. per. §. ſed & ſi quis. col. 6. tit. 1. al. 2. Nov. 72. cap. 2.

M*Inoris* [40] *debitor* [41], *vel is cui minor tenetur* [42], *aut qui minoris res tenet, a curatione prohibetur. Nam & ante curator* [43], *ſi minoris creditor efficiatur, non ſine adjuncto curatore adminiſtrabit. Hoc autem ab initio vel probet, vel juret ſe credere minorem obligatum, vel res ejus habere. Nam ſi taceat, actionis ſuſtinebit jacturam. Item ſi debitor taceat: nec redhibitione, nec alia tempore curationis ſolutione juvabitur. Sed ſi actionis ceſſionem* [44] *adverſus minorem ſuſcipiat, nec poſt curam quidem depoſitam ea permittitur uti: nec is qui ceſſerit, agere debet: cum in legem commiſerit, licet ceſſio pro juſtis cauſis facta ſit, ſed minor lucrabitur. His valentibus in omni cura prodigorum forte, aut furioſorum, aut dementium, & omnium quas introducunt leges.*

*Tutorem habenti tutor non datur.*

9. Iidem AA. & CC. Maximiano.

SI ſororis tuæ filiis tutore legitimo patruo conſtituto, nec ullo excuſato privilegio, tutor datus es: cum habenti [45] tutorem alium dari jura prohibeant: neceſſitatem adminiſtrationis ad eum pertinere, nec te datione teneri, non ambigitur. S. 3. Kal. Februar. *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

*De habente curatorem.*

10. Iidem AA. & CC. Florentino [militi] [46].

CUratorem [47] habenti neque adjungi niſi [48] cauſa cognita, neque in locum ejus alium ſubſtitui, niſi ante priore remoto, ambigui

1 Huc pertinet *l.* 2. J. *h. t. l.* 7. §. 6. *verſ. ſed ſi.* J. *de curatore furioſi. Nov.* 22. *c.* 40. *in fin.* 2 Clariſſimarum perſonarum appellatione intelliguntur plerumque tres Senatorum ordines, illuſtres, ſpectabiles & clariſſimi, ut *l.* 2. J. *quando mulier tut.* Eſt enim clariſſimorum nomen generale & ſpeciale. dixi *l.* 100. *D. de verb. ſign.* 3 Illuſtris præf. & ita ſcriptum in *l.* 3. *C. Th. de tutor. & curat.* 4 *d. verſ. ſed ſi. l.* 2. *in fin.* J. *quando mulier tut.* Præfecti urbis Principes erant ſenatus. Cæterum hoc primo capite legis agitur de tutoribus creandis in urbe, ut & J. *in fin.* in provinciis. 5 His fiebat conſilium, J. *ibi:* qui conſilio affuerint. de quo dixi ad Ulpian. 1. §. 13. 6 Prætor tutelaris. 7 Liberum judicium hic Baldus interpretatur rationibus reddendis non obnoxium: unde mox ſequitur expertes damni: & poſt, remoti a metu. 8 Plures tutores & curatores dari poſſunt, unus ubi ſufficere non poteſt. 9 Græcis προχειϑέντες, & πρόχειτοι dicuntur, qui ita plures eliguntur. 10 Idem fit in Epiſcopo creando. *Novell.* 123. *cap.* 1. *l.* 42. J. *de Epiſcop. & Cler.* Sic & apud Cornel. Tacitum 4. *Annal.* Patricii tres nominabantur, ex queis unus Flamen dialis eligebatur. adde *l.* 23. *D. de tut. dat.* 11 Ordo hic in tutore ſervatur, eligitur, confirmatur, decernitur ei adminiſtratio: quem adeo præciſe ſervandum poſt Accurſium putat Baldus, ut is ordo niſi ſervetur inutilis ſit tutoris datio. 12 Hæc lex agit de clariſſimis, ut & *l.* 2. J. *de illuſtribus.* qui & nobiles. *l. ult.* §. 6. *verſ. Sed ſi quidem nobilis.* J. *de curator. furioſi.* 13 Tutores & curatores clariſſimis, hoc eſt, nobilibus in urbe ſic conſtituuntur. Si nulli ſint teſtamentarii vel legitimi, ex quocunque ordine ſenatorio, vel equeſtri ſumuntur ab illuſtri præfecto urbi qui eſt Princeps ſenatus adhibitis in conſilium decem ſenatoribus & prætore tutelari: plures nominantur: deinde unus idoneus pronunciatur ſententia præfecti urbi: ut ille poſtea ſolenniter detur, decernatur, prodatur, inauguretur, confirmetur auctore prætore tutelari: atque ita ſententia præfecti præcedit decretum prætoris. *l. ult.* J. *de magiſtr. conveniend. l. tutoris.* 5. *D. de confirm. tut.* 14 *l.* 5. J. *tit. prox.* 15 In provincia clariſſimis tutores vel procuratores dantur & nominantur a præſidibus decreto decurionum, & eorum periculo qui adfuerint. 16 Senſus eſt, ut ii tantum, qui curiæ civitatis ſuæ obſtricti non ſunt, tutores dentur illuſtrium ſenatorum liberis impuberibus ſui juris. 17 De illuſtrium tutoribus vel curatoribus.

18 Nec enim omnium judicum eſt tutores dare. vide *Lib.* 26. *tit.* 5. *D. de tutoribus & curatoribus datis. l.* 7. *in fin. D. de confirm. tut.* 19 *Subaudi*, quibuscunque: aliis tamen ab illuſtribus & clariſſimis, de quibus dictum eſt titulo ſuperiore. ad hanc quæſtionem refer *l.* 1. *l.* 11. *l.* 22. *D. hoc titulo.* 20 *d. l.* 7. *in fin. Novell.* 72. 21 Item cui dari. *l.* 1. 3. 5. 9. 10. 22 Vid. *l.* 17. *D. de tutorib. datis.* 23 Id eſt, quominus: Cujacius ita interpretatur, uti ſcripſi ad *l.* 7. *D. pro emptore.* 24 De tutela fœminarum dictum eſt alias in *l.* 3. *ſupr. de legitim. tut. & ad Ulpian.* 11. §. 11. adde Cujac. 7. *obſ.* 11. adde quædam ex *l.* 2. *ſupr. de procurat.* 25 *l.* 4. J. *de excuſationibus tutor.* §. 19. *Inſtit. de excuſat. tutor.* puta furioſæ. *l.* 14. *D. de curatoribus furioſo.* 26 Quia ſi vir male gereret, tacite mulier ei negligentiam remitteret. 27 Oculo utroque orbatus curator eſſe non poteſt. *l. unic.* J. *qui morbo.* uno poteſt. *l.* 9. J. *de excuſat. tutor.* 28 Eſt qui reſtituit, *habere.* Neque enim cæcus curator eſſe prohibetur, aut tutor, ſed ſi velit tantum excuſationem habet. *l. unic.* J. *qui morbo. & l. poſt ſuſceptam.* 40. *ff. de excuſat. tutor. l. etiamſi tutor.* 16. *ff. de auctor. tutor.* ut ſit ſenſus, cæcum non eſſe in ea cauſa, ut ei curator dandus ſit. Alius hanc emendationem reprehendit. Dicam alibi aliquando. J. G. 29 Miles armatæ militiæ, neque tutor, neque curator dari poteſt. §. 14. *Inſtit. de excuſationibus.* adde *l.* 8. *ff. de excuſ. tutor.* procurator. *l.* 31. J. *de locato. l.* 8. J. *de legatis.* 5. Harm. 11. §. 30. Quid ſi errore ductus res adminiſtraverit? negotiorum geſtorum actione convenitur. *Synopſ. Baſil.* 37. *tit.* 7. *ex tit.* 5. *cap.* 53. 30 Pro tutore qui negotia geſſit, etiam negotiorum geſtorum actione conveniri poteſt. Paul. 1. *ſent.* 4. §. *ult. l.* 1. *in fin.* J. *de teſtam. tut. l.* 6. *ſupr. l.* 3. §. 10. *ff. de negot.* 31 In tutore dando, magiſtratum ſervare oportet fines territorii & juriſdictionis ſuæ. *l.* 3. *ff. de tutorib. dat. l.* 3. J. *qui petant tutores.* Si tamen defuerint idonei, poteſt magiſtratus ex vicinis civitatibus honeſtiſſimum quemque inquirere, & nomen præſidi provinciæ mittere, non ipſum dandi arbitrium vindicare. *l.* 6. J. *h. t. l.* 24. *ff. de tutorib. & curatorib. dat.* Interdum etiam non municeps dari poteſt. *l.* 10. *ff. de tutelis.* Fallit etiam lex noſtra in teſtamentario tutore. Poſſumus enim alienæ civitatis civem liberis tutorem dare. *l.* 32. *ff. de teſtam. tut.* quanquam & eo caſu tutori dato competit excuſatio. *l.* 11. J. *de excuſat. tutor.* 32 *l.* 1. J. *de teſtam. tut. l.* 8. *ff. de fidejuſſ. tut.* 33 Dixi ad *l.* 3. *l.* 6. *l.* 8. J. *qui petant tut. l.* 2. §. 23. *ff. ad SC. Tertull.* 34 Vid. *l.* 24. *ff. de tutorib. dat.* 35 Servus non poteſt dari a judice tutor vel curator. *Synopſ. dict. tit. cap.* 33. 36 Nam a teſtatore poteſt. §. 1. *Inſt. qui teſt. dar. tut. poſſ.* 37 Olim creditor debitori tutor dari poterat, *ut hic. l.* 7. J. *de excuſat. tutor. l.* 78. §. 1. *ff. de contrah. empt. l.* 9. §. 5. *ff. de admin. & peric. tut.* ut & is qui litem habebat cum pupillo vel adoleſcente: niſi lis eſſet de omnibus bonis vel maxima parte, vel de ſtatu. *l.* 6. §. 18. *l.* 20. *l.* 21. *ff. de excuſat. tutor.* §. 4. *Inſt. de excuſat. tut.* Hodie hujuſmodi perſonæ non modo excuſantur, ſed etiam removentur. *Nov.* 72. *cap.* 1. niſi ſit mater vel avia. *Novell.* 94. etiamſi poſt ſuſceptam adminiſtrationem adquirant obligationem adverſus pupillum. Quo nomine intellige non permitti tutoribus vel curatoribus ceſſionis jure obligationes in pupillum adquirere, uti olim licuit. *l.* 12. *ff. de rebus eorum, qui ſub tut. dict. Novell.* 72. *in princ.* In Gallia creditor vel debitor conditionem ſuam evulgare non cogitur, ſi a teſtatore tutor datus fuerit. & ita judicatum a Gratianopolitano ſenatu, anno 1461. Februar. 6. refert Bugnonius *in legibus abrogatis.* 38 Debitor poteſt etiam tutor eſſe pupilli creditoris. *l.* 5. §. 4. *ff. de admin. & peric. tut.* 39 *d. l.* 9. §. 5. 40 Creditor minoris, ſive ipſum minorem, ſive res ejus obligatas habeat, nulla ratione ad ejus res curandas admitti poteſt, etiamſi legibus vocetur: ne forte vel cautionem aliquam ſubtrahat, vel aliquo modo eas quæ apud minorem ſunt probationes avertat, easque in minoris ipſius fraudem recitet. 5. Harm. 11. §. 39. adde *Novell.* 72. *cap.* 1. 41 Et ita abrogatur *dict.* §. 4. 42 Et ita abrogatur *d.* §. 5. *d. l.* 7. *d.* §. 1. 43 *l. ult.* J. *de in litem dando.* 44 Abrogata *l.* 12. *D. de rebus eorum.* Goth. Vid. Rittershuſ. in *expoſ. Novell. part.* 8. *cap.* 5. & omnino Covet *en ſon recueil. verb. tuteur. cap.* 4. Anſ. 45 Habenti tutorem legitimum alius a judice dari non poteſt. dixi ad *l.* 9. *ſupr. qui petant.* 46 Hæc vox delenda. Nam miles ne volens quidem ad tutelam vel curam admittitur. Cujac. 17. *obſerv.* 6. 47 *Tutorem habenti*, Cujacius ita emendat 17. *obſerv.* 6. Id etiam ſuadent quodammodo hæc verba, *Negotiis pupillaribus. eod.* & eſt præterea falſum curatorem habenti curatorem dari non poſſe. *l.* 20. *in fin. D. de tutoribus datis.* 48 Curam habenti alius curator adjungi poteſt cauſa cognita. *l.* 20. *in fin. ff. de tutoribus datis.*